

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

6 September 2017

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

1. On the arrival of Patrick in Ireland (from the Life of St. Modwenna)

Eo nunc tempore contigit sanctum Patricium in Hiberniam aduenisse, missum a Celestino papa propter predicandum uerbum Dei gentibus Hiberniensibus, que quidem partim aut paganis adhuc erroribus inuolute erant aut partim, iam fide Christi suscepta, uiam Domini nondum pleniter intelligebant. Peragratis itaque Hibernie insule citerioribus partibus multisque utriusque sexus retractis ab idolatria et baptizatis, plurimis eruditis ad fidem plenius et confirmatis in fide, peruenit episcopus usque ad Conalleorum interiorem prouinciam ibique docebat populos de regno Dei, de penis inferni, dicens gentilibus non posse saluari nisi per Christum, Christianos erudiens rectam fidem et opera sancte fidei, asserens matrimonialem castimoniam esse bonam, uidualem pudicitiam meliorem, uirginalem pudorem optimum, dans unicuique ordini locum suum, confirmans esse plurimas mansiones in celo et predicans futura adeo diuersa premia diuersasque dignitates secundum diuersas electiones diuersorum et iuxta singula merita ac diuersa proposita singulorum.

2. From a Burial Service (Sarum Use)

Oratio. Deus, cui omnia uiuunt et cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur ut quicquid famulus tuus uitiorum tue uoluntati contrarium fallente diabolo et propria iniquitate atque fragilitate contraxit, tu pius et misericors abluas indulgendo, eiusque animam suscipi iubeas per manus sanctorum angelorum deducendam in sinum patriarcharum tuorum, Abraham scilicet amici tui et Isaac electi tui atque Iacob dilecti tui, quo aufugit dolor et tristitia atque suspirium, fidelium quoque anime felici iucunditate letantur, et in nouissimo magni iudicii die inter sanctos et electos tuos eam facias perpetue glorie tue percipere portionem, quam oculus non uidit nec auris audiuit, et in cor hominis non ascendit, quam preparasti diligentibus te. Per Christum.

Responsorium. Heu mihi, Domine, quia peccaui nimis in uita mea. Quid faciam miser? Ubi fugiam, nisi ad te, Deus meus? Miserere mei, dum ueneris in nouissimo die.

3. Why the matter of Alexander was left untouched by classical poets

Hanc uero hystoriam antiqui poete reliquerunt intactam uel propter inuidiam uel propter odium uel propter Romani nominis lesionem uel propter materie difficultatem. Propter inuidiam dico, quia omnes Alexandro inuidebant propter sui probitatem. Propter odium dico, quia Romani Alexandrum odio habebant. Illos enim pessundare uolebat, unde legitur Romanis eum scripsisse “Si uenero, si uenero, si uenero.” Romani uero rescripserunt, “Si ueneris, si ueneris, si ueneris, inueneris nos rebelles.” Propter Romani nominis dico lesionem, quia si aliquis Romanorum facta Alexandri, hostis eorum, descripsisset, suspectus forsitan haberetur et ita maliuolenciam eorum incurreret. Propter materie difficultatem dico, quia gesta Alexandri ita erant lucida quod graue erat describere, et ideo intacta remansit hystoria. Auctor igitur ille, tamquam nanus super humeros gigantis positus, considerauit quod nil intemptatum nostri liquere poete. Magnorum uirorum petitioni acquiescens et quasi omnium deseruiens utilitati, hanc hystoriam tamquam de monumento ignorancie et de sepultura obliuionis resuscitat et reducit ad perhennem uitam.

4. Walafriid Strabo, On the Noble Lineage, Humble Bearing, and Miracles of Saint Blaithmaic

Regali de stirpe satus summumque decorem
Nobilitatis habens, florebat regius heres,
Iste Dei sanctus, uitam ducendo pudicam,
Quodque solet raro factum et non sepe uideri,
Quanto maior erat, tanto deiectionis ibat,
Spes patrie, fortuna patris, rex ille futurus.

Ille igitur Christi factus pro nomine martyr,
Testis, fert ut fama, loco requiescit eodem,
Multa ubi pro meritis dantur miracula sanctis,
Qua colitur Dominus digno ueneranter honore
Cum sanctis, quorum meritis mea crimina solui
Credo, quibus laudum supplex donaria misi.
Nil negat his Christus, cui maxima lucra tulerunt,
Qui cum Patre pio sanctoque in secula Flatu
Regnat et eterno pollet sine fine decore.